



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Si Petrus habuit fidem paßionis quando vidit illum hominem pati. B

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



veritas. Est, inquit, fides qua creduntur ea, quæ non videntur. Sed tamen est etiam fides rerum, quando non verbis, sed rebus ipsis presentibus creditur, quod erit, cum per speciem manifestam se contemplandam Sanctis præbebit Dei sapientia. Sed non proprie hæc dicitur fides, immo fidei merces ad quam credendo peruenietur: ut ex fide verborum transeat iustus in fidem rerum.

*Si Petrus habuit fidem passionis, quando vidit hominem illum pati.* B

Si vero quæritur, utrum Petrus fidem passionis habuerit, cum hominem Christum oculis percernebat. Dicimus eum fidem passionis habuisse, non in eo, quod credebat hominem pati, quia hoc videbat, sed in eo quod credebat Deum esse, qui patiebatur. Non enim virtus fidei erat, quod crederetur homo pati & mori, quod Iudæus cernens crederet: sed quod crederetur Deus esse, qui patiebatur. Unde Aug. super illum Psalmi locum, Respondit ei in via virtutis suæ: Laus fidei est, non quia credit hominem illum mortuum, quod & Paganus credit: sed quia credit eum glorificatum & verum Deum. Credit ergo fides Deum mortuum, & hominem glorificatum. Non ergo fuit Petro fides credere hominem illum mori, quod oculis cernebat: sed credere Deum esse, qui moriebatur. Nec nobis etiam fides in hoc meretur, quod credimus hominem illum mortuum, & quod Iudæus credit: sed quia credimus hominem Deum mortuum esse.

*Si aliqua sciuntur, quæ non creduntur.* C

Post hoc quæri solet, cum fides sit de non apparentibus & non visis, utrum etiã sit de incognitis tantum. Si n. de incognitis tantum est, de his videtur esse tantum quæ ignorantur. Sed sciendum est, quod cū visio alia sit interior, alia exterior, non est fides de subiectis exteriori visioni: est tamẽ de his, quæ visu interiori utcumq; capiuntur. Et quædam sic capiuntur.

*Enarrat  
ne in Ps. 101.  
concione 2.  
tom. 8.*